

17. Nov.

a. f. 1003. c.
S. 733.

1791, 4
14
163

DE EFFECTU EXCEPTIONIS REI JUDICATAE IN TERRITORIO ALIENO COMMENTATIO.

QUAM
SUB AUSPICIIS AUGUSTISSIMIS REGIIS
CONSENTIENTE ILLUSTRI JURIS CONSULTORUM
ORDINE

PRO
SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS
RITE CAPESENDIS

D. IX. MAJI MDCCXCI.

ERUDITORUM DISQUISITIONI

OFFERT

JOSEPHUS ALOYSIUS FERDINANDUS HAAS
WETZLARIENSIS.

GOETTINGAE
APUD JOANN. HENR. SCHULZIUM, ACAD. TYPOGR.



THESES.

I.

In iis etiam territoriis, in quibus status provinciales nulli sunt, principique soli potestas legislatoria competit, tributa pro eius libitu augeri nequeunt.

II.

Nobilitas immediata iure poscere non potest, ut principes ratione honorum feudalium, quae ipsis tanquam dominis directis vel ob mortem vel ob feloniam vasallorum, qui cum nobilitate immediata coniuncti erant, consolidentur, hunc nexus continent.

III.

Principes Germaniae iure petere non possunt, ut Regum instar a iurisdictione exterorum regnorum, in quibus degunt, eximantur.

IV.

Merces hostiles ex navi amica capi iure gentium possunt,

V.

Neutralitatis infractio est, denegare genti cuidam exercituum transitum, qui eius hostibus conceditur, etiamsi ex pacis antecedentibus id fiat.

VI.

Praescriptio in iure gentium nulla est.

VII.

Clausula codicillaris expresse adiicienda non est.

VIII.

Offessione immemoriali perscriptio non fundatur.

IX.

Actioni pignoratitiae non soluto debito praescribi non potest, nisi factum contradicitorium intervenerit.

P R A E F A T I O.

Dissertationis hujus argumentum debo Viro Gene-
rosissimo et illustri GEORGIO FRIDERICO DE
MARTENS a consiliis aulae Regiae, hujus universitatis
jurium professori ordinario, praeceptori meo summe
colendo, qui cum in jure gentium docendo de effectu
sententiarum in alienis territoriis ageret, eam quam in
fronte opusculi indicavi materiam dignam judicavit, in
quam alius accuratius adhuc inquireret. Quae res me-
moranda mihi erat non solum, ut publicas dignissimo vi-
ro gratias agerem, verum etiam ut tam competentis ju-
dicis de argumenti mei momento judicium auctoritatem
aliquam commentationi mea adderet, qua quidem eo
magis indigeo, quo minus ipsa rei disceptatione erudi-
torum applausum mereri spero. Non auderem in lucem
publicam edere quae de ea re cogitavi, nisi ob summos
in utroque jure honores capefendos scribendum aliquid
mihi esset, ideoque sperare possem, primum juvenis
opus nimis rigide non censem iri.

A

In

PRAEFATIO.

In elaboranda dissertatione eo usus sum ordine, qui
in fine §phi 8^o compendit Martensiani a) invenitur, ce-
terum naturam magis rei quam aliorum opiniones sectutus.

*Exceptionis rei iudicatae vocabulo usus sum, cui
seilicet idea magis nota atque determinata adjungitur,
quoniam litis jam decisae exceptio ob eam quam §. 17
exposui animadversionem iustius forsitan nomen foret.
Quae porro de principe brevitatis causa dixi, etiam de
senatu aliove corpore, cui in libera republica summa po-
testas delata est, valere nemo dubitat. Territoria de-
nique non solum principum Germaniae terras, ut saepe
sit, appellavi, sed maiores etiam globi partes, quae totis
gentibus occupantur, ut Francia, Anglia &c.*

a). Précis du droit des' gens moderne de l'Europe fondé sur
les traités & l'usage. 12, Göttingue 1789.

§. 1.

Principi iuris civitatis utriusque ad

§. 1.

Quemadmodum omnia Principis jura, ita & iudicia-
ria eius potestas non nisi in eos competit, qui
eadem se subiecere. Et postquam pluribus civitatibus
ortis ad evitanda dilicrimina, quae inde oriri possent,
quod dubium foret cuius quisque reipublicae civis esset,
ea res exsitu agrorum, quos quisque possidet, vel loci,
ubi degit, determinata est: nulla summæ potestatis pars
extra limites agri, quem populus occupavit, extendi pot-
est. Non sine ratione igitur de sententiae extra territo-
rium valore dubitatur.

§. 2.

Siquidem ita inferatur quaestio: utrum Princeps
aut civitas aliqua sine pactis antecedentibus stricto iu-
re adstricta sit atque obligata sententias exteri iudicis exe-
qui; neganda omnino est a). Attamen si aliquando in-

A 2 ci,

a) Voet comm. ad P. lib. XLII. tit. I. §. 41. Martens droit
des gens §. 81. ibique citata not. a).

4 DE EFFECTU EXCEPTIONIS REI IUDICATAE

civitate accidit, ut magistratus exteri iudiciis sententiam exequatur; illud non iure stricto verum humanitatis tantum gatia fieri ex eo colligere licet, quod in eiusmodi causis litterae, quas vocant requisitoriales, antea mittantur, quibus alia occasione idem retribuere sibi invicem pollicentur. Verum enimvero longe alia maximeque diversa ea quaestio est: an princeps iure gaudeat in causam alio in territorio iam diiudicatam denuo inquirendi & si iniusta videtur prior sententia, illam reformandi? Aut ut exemplo statum propositio clarius rem exponam: utrum actor, qui in lite succubuit reum territorium mutantem in nova cuius civis factus est civitate ob eandem causam ex integro convenire possit, an ea actio exceptione rei iudicatae rite elidatur b). Et in hoc quidem dissertationis mea versatur argumentum, quod sequentibus principiis decidendum esse arbitror.

§. 3.

Summi imperii, quod republica rite instituta oritur, utilissima fere pars est iudicaria potestas; qua scilicet efficitur, ut qui antea, ubi ius suum quisque ipse pè-

b) Simplissima haec argumenti dispositio est. Alias magis complicatas ad finem opusculi addam.

petere potuit debuitque, potentiori semper succubuit infirmior, iunctis iam societatis viribus contra omnem iniustiam publice defendatur. Ab ea potestate, quod quisque contra alium ius sibi competere existimat, petere tenetur, atque si petitio firmo fundamento nititur, certius quam propria vindicta obtinet. Ne autem vera cum falsis confundantur, nec quod oppresso debetur auxilium, specioso feratur oppressori; iudices constituti sunt, qui causa utrinque disquisita atque cognita ius dicant i. e. d discernant, penes quem litigantium ius sit & quinam igitur eorum auxilio dignus. Judicis itaque sententia non nisi declaratio eius est, quod iam ex ipsa rerum natura iustum, sed antea in controversiam deductum erat. Sententia iudicis controversiam dirimit & vietrici parti ius tribuit non minus perfectum, ac si pacto aliquo ab omni ulteriore contradictione recesserit adversarius. Dum itaque patriam relinquens alias territorii civis fit, novus quem nanciscitur princeps obligationem suscipit, sicuti eum ipsum omniaque eius bona, ita etiam hoc ius tuendi. Nullam ideo suscipere actionum potest, cuius finis est illud eripiendi. Et quemadmodum lite per transactionem composita exceptio transactionis in quocunque territorio tali actioni opponi possit, ita etiam pari ratione rei iudicatae exceptio.

A 3

§. 4.

§. 4.

Eadem veritas alio iam modo elucere potest. Sententia alibi lata arbitrii minimum auctoritate apud nos valeat necesse est, a) quo scilicet partes, quae sese ipsi subiecere, tenentur nulla habita diversorum territoriorum ratione. Judiciaria penit otestas aequa ac auctoritas arbitrii pacto primitus nituntur, illa eo, quod prima civitatis constitutione, haec eo, quod immediate ante latam sententiam initum est. Quod igitur in arbitrio obligat pactum, illo etiam in iudicio teneri partes oportet,

Ex duobus illis principiis 1^{mo} iuris quaesiti quod e re iudicata oritur, 2^{do} eius cum laudo arbitrii similitudinis, variae deduci possunt consequentiae, quibus rei iudicatae in territorio alieno effectus accuratius determinatur, quasque hic enumerare fas est.

§. 5.

Sententia lata esse debet a iudice tam causae quam personarum ratione competente. Nam ab in competente latâ

a) Martens l. c. 1000.

lata nulla est, nec ullum parti viætrici ius tribuit, quod novi territorii Princeps tueri teneatur. Quodsi igitur de bonis in duabus territoriis sitis simul lata est sententia, eorum tantum ratione, quorum iudex competens fuit, res iudicatae exceptio opponi potest. Et ubi de iurisdictione lis inter duos Principes obversatur, alterum alterius sententiis nullam omnino vim tribuere, ideoque nec litis iam decisae exceptionem ibi opponi posse patet.

§. 6.

Ast ipsa tamen incompetentis judicis sententia tantum in aliena civitata valere potest, ut nova de eadem re actio institui nequeat, modo requisitis arbitrii qualitatibus gaudeat i. e. modo utraque pars incompetentiae conscientia a) judicis decreto se subjecerit atque tam ratio-

a) L. 3. D. de judiciis: „Consensisse autem videntur qui sciant se non esse subjectos jurisdictioni ejus & in etum consentiant. Ceterum si putent ejus jurisdictionem esse: non erit ejus jurisdictione. error enim litigatorum non habet consensum, aut si putaverunt alium esse praetorem pro alio: aequo error non dedit jurisdictionem; aut si cum restitisset quis ex extitit litigatoribus viribus praeturae compulsus est, nulla jurisdictione est.”

8 DE EFFECTU EXCEPTIONIS REI IUDICATAE

ratione personae b) quam causae c) subjicere se potuerit.

§. 7.

Quodsi igitur a*ctori* rei iudicatae exceptio opponenda est; determinandum solum, an incompetentiam iudicis noverit, jusque habuerit in arbitrum de ea re compromittendi; consensum enim ipsa actione declaravit. Optime itaque animadvertisit Illustris Pütterus in eo quod de causa Favras contra Anhalt Schaumburg dedit responso a) Benjaminam Keyser, imo si Episco-

pns

b) vide exemplum in Illustris G. L. BOEHMERI principiis juris feudalis. §. 258. Arbitrum constituere non potest subditus exterum judicem, cuius decretis parere justa ratione ipsi vetuit Princeps, uti saepe fieri potest, si ex principio landsassiatu*s* ab exteri*s* jurisdictione quaedam fundatur. Vide Cramer de iurisdictione prorog.

c) Quaestio, an causa talis sit, qualem arbitri decisioni subjicere potuerint partes, ex ejus fori legibus decidenda est in quo proprio agitari debuisset. Quod ius romanum de ea re statuit ideoque in Germania obtinet videre licet in I. H. BOEHMERI introd. in jus D. lib. IV. tit. VIII. §. 7.

a) *Rechtsfälle.* B. III. Th. I. pag. 25. §. 43. 49. 50. Liceret forsan remittere lectorem ad tanti viri librum tam notum. Cum autem

IN TERRITORIO ALIENO COMMENTATIO.

pus Rüremondensis iudex competens fuisset, relicta postea contradictione, instituta coram tribunali belgi-

co

autem quodvis & minimum etiam opuseulum, quantum fieri potest, integrum esse atque ex se ipso intelligi posse debeat, ea, quae ex memoranda illa lite huc pertinent, breviter enarrabo:
CAROLUS LUDOVICUS Princeps ANHALTINUS SCHAUMBURGENSIS unitarum Belgiae provinciarum tribunus militum Stevensvardae loco, in cuius *civis*, non milites Episcopo Rüremondensi jura dioecesana competit, **BENJAMINAM GERTRUDEM KEYSER** personae itidem militaris filiam uxorem duxit inscio patre suo, qui quamprimum de ea re certior factus fuit, matrimonium ob deficientem consensum suum aliaque non observata Belgii jura, a tribunali *militari* ut nullum declararetur, petit. B. Keyfer primo indicem incompetentem esse excipiens, Episcopo Rüremondensi causae decisionem subiicere voluit. Neglecta autem deinde hac calunnia ipsa coram eodem tribunali contra Principem, a quo interea relicta fuerat, egit ad continuandum matrimonium filiamque inde natam alendam. Iudex Principi 700 fl. pro alenda filia quotannis solvendos provisorie iniunxit, cause principalis decisione adhuc suspensa. Elapsis interim sex annis matrimonium ipsum nullum atque invalidum pronunciatum, & qui antea provisorie tantum, nunc usque ad annum 18 filiae solvendi iniuncti sunt 700 fl. Mater hac sententia spreta semper coniugem Principis gesit filiamque simili imbuit opinione, quae po-

B.

fica

10. DE EFFECTU EXCEPTIONIS REI IUDICATAE

co aduersus Principem Anhaltensem actione atque 700
florenorum ipsi adiudicatorum acceptatione, jurisdictionem in tribunal illud prorogasse, aut ut aliis verbis
idem dicam, arbitrium illud constituisse. Contradiccio-
primum interposita demonstrat non errore id factum
fuisse; iure etiam compromittendi gaudebat.

Alia in *reores* est, qui opposita incompetentis iur-
dicis exceptione in omnem eventum litem contestare
potest; quo facto, si iudex manifeste incompetens ta-
men audet sententiam ferre, ea ipsi opponi re de integro
in litem deduxa non potest.

§. 8.

Ab utroque autem, tam ab auctore quam a reo ta-
cite ipsa actione aut litis contestatione arbiter consti-
tuitur incompetens iudex. Tacitus vero iste consen-
sus, nisi aliunde de illo constet, ibi praesumi non po-
test.

ffea Marchioni de Favras nubens, pecuniam coram tribunali
Bellico pro alimentis suis depositam sibi persolvendam curavit;
deinde Viennae coram confilio Imperii aulico aduersus Princi-
pem Anhaltinum egit, ut qua filia ejus legitima non solum do-
tem, qualis foeminae illustri debetur, obtineret, sed etiam co-
mortuo in allodialem eius hereditatem succederet.

test, ubi iudex pro parte causae in litem deductae competens, pro altera vero parte incompetens est. Ibi enim actio aequa ac litis contestatio competentiae fines non egreditur. Pro ea tantum parte cuius ratione iudex competens est, sententiam eius exspectant litigantes et quod amplius ille decernit, sententia non est, quae in alieno territorio auctoritate aliqua gaudeat *a)*.

§. 9.

Sententia, de cuius effectu in aliena civitate agitur, in ea ubi lata est, efficax sit atque obligatoria, necesse est. Ex nulla enim sententia nullum acquirimus ius, quod novus, cui mutato territorio subiicimur, Princeps protegere teneatur. Itaque non solum generaliter ex eius loci, ubi causa agitata erat, legibus lata sit sententia necesse est; sed speciatim ex iis, quae secundum propriam causae naturam, et civitatis constitutionem ad decisionis fundamentum pertinent, lata esse

B 2

debet.

- a)* Quando sententiae de hereditate latae 'etiam' circa bona alibi sita valeant, quidque in ea re differentia legum variet, determinare e re mea non est, qui tantum de effectu *exceptionis* rei iudicatae ago, et quae de competente, vel de incompetente iudice in ea re observanda sunt indico 'aliis relinquens determinare, quis iudex sit competens.'

debet. Quod si observatum non fuerit, sententia nulla, ideoque causa nondum decisa est: nihilque impedit, quominus decisio eius ab altero Principe, cui nunc subiectus est reus, suscipiatur b).

§. 10.

In plurimis autem iudiciis querela nullitatis introducta est, certisque fatalium limitibus circumscripta. An exceptio rei a tali tribunali iudicatae nullitatis replica elidi possit, merito dubitatur. Cum enim liceat parti de nullitate queri, neglecta tali actione suo silentio sententiam agnoscit, nec, quam in eodem territorio instituere non potuisset novam actionem, in alieno instituere potest. In eoque differt haec sententiae nullitas ab ea quae ex incompetentia iudicis oritur, contra quam nulla remedia instituenda ideoque nulla præscriptionum tempore observanda sunt. Ubi vero nullitatis remedium non introductum, aut tam longo præscriptionis tempore munitum est, ut ante eius decursum pars viætrix territoriorum mutare atque nova actione conveniri

b) Indubitatam hanc veritatem male applicavit Marchionissa de Favras falso perhibens tribunal militare Belgium matris suæ causam ex lege postea lata ideoque nuliter decidisse. *Pütter Rechtsfälle* 1. c. p. 23. §. 39 — 41.

niri possit; ibi omnino prioris iudicij sententia, cum nulla sit, impedire nequit, quo minus causa de integro decidatur.

§. 11.

Quodsi autem, quae vel ab incompetente iudice vel ex legibus incongrue suppositis lata est, sententia in eodem aequo ac in alieno territorio effectum non habet; multo minus exceptionem rei iudicatae in alieno territorio fundare potest decretum quoddam supremae potestatis, quod sententia omnino non est nec litis dirimendae causa pronunciatum fuit, in quo dando iudicis munere functus non est princeps, sed potius in suprema politia aliave regiminis parte administranda versatus. a). Vix commemoratione aliqua ea res indigeret, nisi MAXIMILIANUS GUILHELMUS partu ad ultero ex uxore Emanuelis Principis Nassoviae natus, cum successionem terrarum Siegenium affectaret, veniam aetatis, quam a Rege Franciae sub nomine Principis Nassoviae obtinuerat, tanquam sententiam de legitimitate sua latam consilio Imperii aulico obtrudere voluisset b).

B 3

Uni-

a) Ludolf symphor. Vol. I. pag. 841.

b) Fabers Staatscanzley Th. 88. pag. 355. sqq.

14 DE EFFECTU EXCEPTIONIS REI IUDICATAE

Unicuique patet veniam aetatis nulla praevia actione, in auditâ altera parte, ad unius tantum preces datam a natura sententiae toto coelo abesse. Summum quod inde colligi posset, extrajudicialis agnitus legitimatis foret, quae sicuti agnitus cuiuscunq; privati rebus melius cognitis revocari potuisset. Eadem enim ratione iam antea Imperator CAROLUS VI. syngraphum eidem homini tanquam Nassoviae principi datum, revocari iusserat. Quae autem ne eum quidem Principem, a quo datur in posterum obligat agnitus, multo minus exteris nationibus regulâ esse potest. Qua de re si quis dissentiret, ille quidem omnes nationes petitoris Regni M. Britanniae iura agnoscere debuisse affirmaret, quia a LUDOVICO XIV. agnoscabantur; aut, ut similiori exemplo rem illustrem, titulum sic dicti Principis IUSTINIANI DE CHIO, qui a nonnullis Principibus imo Regibus fraude eius deceptis agnitus fuerat b).

§. 12.

Cum vero sententiarum tria sint genera c) primum earum, quae litem decisione finiunt, ideoque definitivae ap-

b) Schlözers Staatsanzeichen, Band XIV. pag. 155.

c) Usitata haec divisio est. Klaproth Einl. in den ordentl. Bürgerl. Procesß Th. II. §. 195.

appellantur, alterum earum quae non nisi iudicium ordinant, atque *interlocutionum* nomine distinguuntur, tertium denique, quo complectuntur eae, quae causam incidentem decidunt, atque cum ex utriusque natura aliquid decerpant, *mixtarum interlocutionum* nomen ferunt: definiendum est, utrum omnia haec sententiarum genera, an unum alterumve tantummodo, pleno in aliena civitate effectu gaudeant. Definitivis effectum hunc competere, unusquisque credet; meritis interlocutionibus, vix ullus. De mixtis vero, veluti probationis iniunctione, cum insigne in causa principali detrimentum aut commodum partibus afferant, atque in eius decisionem proxime influant, non immerito dubitatur. Ego autem nec illis ullam in aliena civitate auctoritatem esse opinor. Litem enim non decidunt, controversiam non sublatam in medio relinguunt, ad eas itaque fundamentum effectus rei iudicatae in territorio alieno, quod supra §. 3. exposui, applicari nequit.

§. 13.

A&tor praeterea obligatus non est litem coram eo iudice persequi, cui reus qui et territorio exiit, non amplius subest. Nec prodesset ipsi vincere adversam partem in eo iudicio, cum de executione sententiae secu-

TUS

rus non sit a) nisi forsan arrestum petierit, quod obtinere si non omnino impossibile sit, saepe tamen difficile est. Ipsa autem arresti petitio cum libera sit atque ex auctoris dependeat arbitrio, sat clare demonstrat, licet ei esse reum in novam civitatem sequi, ibique iustitiam a iudice petere. Judici autem licet assumere decisionem causae, quae per solam probationis iniunctionem, decisa non est. Termeno primum probationis clapsso, vel ex probatione vel in contumaciam res decidi debuisset, ut nova actio institui non posset. Si vero iam antea novam civitatem reus intravit, ibique de integro conventus est, prioris territorii coeptum, sed non finitum iudicium non impedit, quominus hic lis decidatur.

§. 14.

Quae autem Voetius b) de aequali litispendentiae cum re iudicata effectu dicit, in aliena civitate applicari
non

a) Vide supra §. 2.

b) Comm. ad P. lib. 44. tit. 2. §. 7. (vol. 2. p. 869): „Exceptioni enim rei iudicatae adfinis [admodum est exceptio litis pendentis, quippe quae toties & omnibus illis in casibus datur, lите apud alium iudicem pendente, quoties & quibus in casibus lite finita rei iudicatae exceptioni locus est].”

IN TERRITORIO ALIENO COMMENTATIO.

17

non posse videntur a). Nam in una eademque civitate, ubi cuiusvis iudicis iurisdictio a summa Principis potestate dependet, variae de concursu iurisdictionum, de praeventione, de litispendentia &c. normae praescribi possunt, quales inter liberas gentes nullae sunt. In una eademque civitate rationis omnino est causam coram uno tribunali actam ad aliud non devolvi: cum enim omnes iudices ex eiusdem Principis auctoritate ius dicant, atque sententiam in una territorii parte latam, in omnibus aliis exequi curet Princeps; ratio deficit, cur mutato domicilio causa iam coepta ad alium iudicem devolvatur. Quamobrem inter varia Germaniae territoria, quae communi iam vinculo iuncta unum omnia corpus, unam civitatem constituunt, in qua quidem ius romanum iuris communis vigore gaudet, is qui a Voeatio contenditur litispendentiae effectus forsan obtinet; quanquam & hic potestas iudicaria Principum Germaniae, quorum nomine solo ius dicitur, nec non deficiens sententiarum in alieno territorio latarum executio, b) iuris romani denique in iure publico Germaniae non usus obstante videantur.

§.

a) Vide tamen Püters *Rechtsfälle* l. c. pag. 83. §. 18.

b) Vide supra §. 2.

C

§. 15.

Litispendentiae denique in alieno territorio effectus nec inde colligi potest, quod iure romano lite contestata quasi contractus initur, atque ab actore cattio de lite prosequenda peti potest. Ut enim praeteream, litis contestatione reum tantum obligari, cautionem autem de lite prosequenda ab eo tantum actore peti posse, ob cuius contumaciam reus iam ab instantia absolutus fuerat; sat erit dicere iuris romanii inter gentes nullam vim esse. Et quod ex iure naturae aut in compositis civitatibus, ubi ius romanum viget, suscepimus de lite prosequenda pactum dici forsan posset; rebus sic stantibus, i. e. iudice adhuc competente intelligendum profecto esset.

§. 16.

Quodsi autem causa tantum *definitive* decisa ab omni ulteriore processu in alia civitate arcenda, liti vero pendenti ea vis tribuenda non est: necessario inde sequitur, eam tantum sententiam ad exceptionem rei iudicatae fundandam opponi posse, quae appellariione aliove remedio a) interposito infraacta non est. Nam simulac ap-

pel-

a) Querela nullitatis, de qua iam supra §. 10. dictum est, huc non pertinet.

pe'atio interponitur, sententia pro non lata habetur, controversia iterum incipit, eademque ac in lite pendente iura obtinent. Quod minimum de iis remediis dicendum est, quae a reo interponuntur. Actor contra qui ipse appellans, reum deinde in alio territorio convenit, appellationem reliquise atque eo ipso sententiae auctoritatem agnovisse videtur, nisi forsitan reus clam vel dolo malo territorio exiens nullum executionis obiectum reliquerit, ideoque actori de executione sententiae a superiori iudice ferendae desperandum esset. Tum enim nemo dubitat, licere ei relitto in priori territorio processu, contra reum fugacem coram eo cui nunc subest iudice de integro agere,

§. 17.

Si vero nullo ad infirmandam sententiam remedio usae sunt partes, nihil interest, an tempus, quo uti eo potuissent elapsum sit, nec ne. Sententia unde appellare in eadem civitate adhuc licuisset partibus, in aliena nihilominus stabilis atque inconvulsa permaneat necesse est. Atque si ea tantum sententia rei iudicatae nomen fert, quae nullo amplius remedio frangi potest a): in rem

C 2

iu-

a) qui rem iudicatam tanquam *item ita decisam* definiunt, *ut vim iuris inter partes obtineat*, ab effectu definitionem desumunt.

30 DE EFFECTU EXCEPTIONIS REI IUDICATAE

iudicatam abiisse sententiam, ut pleno apud exterorū effectu gaudeat non opus est. Nam cum primum homines in societates resque publicas coirent, nulla inter sententiam et rem iudicatam differentia fuit & quodvis Regis iusdicisve decretum plenum statim valorem obtinuit, itemque in perpetuum diremit ^{a)}). Ex quo autem tempore appellations, revisiones, aliaque contra sententias remedia introducta fuerant, timendum erat, ne omnis iurisdictionis finis amitteretur, nisi terminus quidam interponendorum remediorum praescriberetur. Unde differentia orta est inter rem iudicatam, cuius tempus app-
pel-

^{a)}) Simplicem hanc iudiciorum formam in recentioribus Europae regnis diu obtinuisse affirmat HUME history of England Appendix II. (Vol. II. pag. 371. edit. Basili.) "In the Saxon times no appeal was received in the Kings court, except upon the denial or delay of justice by the inferior courts; and the same practice was still observed in most of the feudal Kingdoms of Europe. But the great power of the conqueror established at first (1066—87) in England an authority, which the monarchs in France were not able to attain till the reign of St. Lewis, who lived near tow centuries after (1216—1270) He empowered his court to receive appeals both from the courts of barony and the country courts, and by that means brought the administration of justice ultimately in to the hands of the sovereign".

pellandi elapsum est, & meram sententiam, quae reme
diis adhuc infirmari potest. Cum vero tempus illud
non nisi ad appellations &c. spectet in eadem civitate
interponendas ^{a)} sententiae apud exteris nationes ef-
fectum variare non potest.

§. 18.

Neque obiciere quis potest omnijusū deſtitutam ef-
ſe hanc obſervationem, cum intra dēcendii terminum,
qui appellationi praescriptus eſt, territorium mutari
adeoque nova actio institui commode non poffit. Non
enim omnia remedia tam brevi temporis ſpatio ſunt cir-
cumſcripta; ſunt etiam genera quaedam ſententiarum,
a quibus appellandi iuri nunquam praescribitur, quae
nunquam abeunt in res iudicatas. Quo pertinent ſen-
tentiae contra matrimonium latae, cuius generis ea fuit,
de qua agebatur in cauſa Favras contra Anhalt Schaum-
burg, memoranda ſane lite, quae omnia fere huius

C. 3. doctri-

^{a)} Memoratione vix eget appellations in eodem tantum ſertis
teritorio interponi poſſe, ideoque etiam' reſtitutiones ſin ſintegrum
e. g. propter minorem aetatem &c. contra res alibi iudicata-
nunquam decerni poſſe, ino si alias in territorio quodam intro-
ductiae eſſent, quod tamen iure communī fieri non debet. PUR-
FENDORF obſerv. iur. univ. Tom. I. obf. 57; Tom. II. obf. 47.

doctrinae capita optime illustrat. Quae sententia matrimonium annullans, licet secundum ius canonicum nunquam abire potuit in rem iudicatam; extero tamen iudici aliam in ea lite sententiam ferre non licuit *a*).

§. 19.

Expositis iam iis quae in sententia apud exterios valitura requiruntur, non abs re arbitror addere quaedam exempla, quibus huius doctrinae usus & applicatio demonstretur. Haec applicatio autem tantum variat, quantum differunt fori & territorii mutandi modi. Pars enim e civitate exiens non solum privatus et singularis persona esse potest, sed etiam corpus aliquod, imo tota provincia pace publica vel ex permutatione alteri principi cessa. Quo facto duplex huius rei applicatio oritur. Primum in omnibus privatorum causis eae, quae olim datae sunt decisiones & in posterum valeant, necesse est. Privatorum enim ratione cessioni nisi personae Imperantis mutationem continere potest, conservata ceteroquin tota provinciae constitutione, conservatis omnibus

a) Alia ratione contra hanc juris canonici dispositionem tribunalis Belgici sententiam defendit Perilluſtris **PÜTTERUS** demonstrans juris canonici inter Batavos nullum usum esse. Rechtsfalle. §. 17, not. (g).

bus civium iuribus. Ibi vix dici potest mutationem aliquam civitatis factam esse, cum vix aliter ad exterum Principem transeat imperium quam a patre ad filium. Nemo in eiusmodi cessionibus de effectu sententiarum ab antecessoribus latarum dubitat. Tali vero ratiore Ducatus Bremensis & Pommeraniae, aliaeque terrae Sueciae cedebantur pace Osnabrugensi *a)* salva scilicet interna territoriorum constitutione, salvo Imperii nexu. Alio omnino pacto Franciae cedebantur episcopatus Metensis, Tullensis, Virodunensis, atque Landgraviatus Alsatiae, *b)* quae scilicet terrae partes regni Gallici factae sunt. Ibi revera alterius civitatis cives facti sunt incolae, ibique sententiarum antea latarum effectus ex iis, quae hoc opusculo exposui, principiis dijudicandus est.

§. 20.

Sed non solum in privatorum, verum etiam in ipsius urbis aut provinciae cessae, tanquam personae moralis spectatae causis exceptio rei iudicatae tam pro ea quam contra eam opponi potest, sine ullo discrimine, utrum ante cessionem lata sit sententia, an postea. Illustrare eius rei exemplum iam in comitiis versatur, quod paucis

a) Art. 10.*b)* I. P. M. art. II.

paucis hic exponere liceat. Abbatia Wadgassensis subiecta olim erat limitatae Principis Saraepontani superioritati territoriali tam sententiis Camerae Imperialis quam transactionibus definitae. Permutatione territorialium anno 1766 inter Franciae regnum & principatum Saraepontanum facta sub illius supremam potestatem transit, accidente mox Imperatoris Imperiique consensu. Duplicem igitur eo respectu personam sustinet Rex Franciae, duplia in eum iura transferunt, tum quae Principis Saraepontani olim fuerant, tum quae Imperatoris. Sed duplici etiam obligatione tenetur, atque indubitatum est, sententias, quae Caesaris olim auctoritate ad lites inter Principem & Abbatiam dirimendas latae fuerunt, etiam nunc Regem Franciae obligare, nec licere ei ex Principis, quam prae se fert, persona, controversias iam sublatas iterum instituere, nec ex Imperatoria, quae in eum transit auctoritate, easdem iterum decidere. Sententiae enim in Germania latae etiam in Francia, uti sufficienter probasse mihi videor, valcant necesse est; ut praeteream expressas ad Abbatiae constitutionem conservandam tam permutationi ipsi, quam confirmationi Caesareae insertas esse sponsones. Si vero lites iam finitas iterum judicialiter retractare iniustum est, quanto magis est, uti nunc minantur, sine ullo iudicio, spreta pactorum fide, spretis

tis sanctissimis sponzionibus, spreta denique iuramento-
rum religione, iura quaesita infrangere!

§. 21.

Iis, quibus in eodem territorio res inter alios iudi-
cata nocet, etiam sententia alibi lata noceat necesse est.
Nocet autem 1) ei cuius ius ex causa subsequenti deriva-
tur ab illo contra quem iudicatum fuit, ideoque ab eius
iure absolute dependet. Sic heredi nocet sententia
contra defunctum lata; sic emtori, creditori &c. sen-
tentia contra venditorem, debitorem, ratione rei ven-
ditae, oppignoratae lata, quos ideo civiliter eandem
personam appellat Voetius a).

Nocet 2) illi etiam, cuius titulus sententiam qui-
dem antecedit, qui vero, cum sibi primum actio vel
defensio competeret, eum agere passus est, qui ipsi vel
ex lege vel ex dolo, vel quacunque alia ratione evi-
ctionis nomine tenetur b).

Atque ea ratione potissimum accidit, ut exceptio
rei in alieno territorio iudicatae opponatur. Saepius
enim

a) Comm. ad P. de except. rei iud. (44. 2.) §. 5.

b) Cap. 25. X. de sentent. & re iud.

26 DÉ EFFECTU EXCEPTIONIS REI IUDICATAE

enim extero succedit a i quis vel ab extero emit rem mobilem vel pignori vel in dotem accipit, quam territorium quis relinquit, atque alibi de eadem iam hic decisa causa convenitur, quem casum, cum maxime simplex sit, ideoque ad indagandam veritatem porissimum valeat, in elaboranda dissertatione semper supposui. Sed iisdem in utroque casu principiis res decidenda est.

§. 22.

Per contractum pignoris duplex oriri casus potest, quo res in alieno territorio iudicata alicui opponatur. Primum enim si rem mobilem extero oppignorata tertius vindicat, qui non eiusdem ac creditor territorii civis est, atque vicit oritur e lite discedit; debitori, qui vicissim ab eo petere rem velit, exceptionem rei iudicatae rite opponere potest: posset enim si omnes partes eiusdem territorii cives essent ^{a)}. Si autem ²⁾ vicitus fuerit is, qui ab extero creditore pignus vindicare voluit; neque a debitore, postquam soluto debito in eius manus rediit, petere illud potest; cum, quae in creditoris possessoris favorem data est sententia etiam debitori proficit, nec territorii differentia, discriminus aliquod, uti demonstravi, in ea re afferat.

§. 23.

^{a)} Puffendorf observ. iur. univ. Tom. III. obs. 64. §. 5. 6.

§. 23.

Supereft adhuc determinare: an etiam causa prae*judiciale* in alieno territorio legitime decisa, exceptio rei iudicatae ei opponi possit, qui aliam quidem actionem, sed ab illa absolute dependentem instituit. Eodem modo haec quaestio decidenda est, ac si prior sententia in eodem territorio lata fuisset: prae*judiciale*is enim aequa ac alterius cause decisione ius quaesitum acquiritur, quod territorii mutatione non amittitur. Mihi vero persuasum habeo, opponi talem sententiam posse, licet is ipse cui opponitur in priori lite nullam partem sustinuerit; modo ii quibus propriis actione & defensio competebant id fecerint, atque ius illius, cui opponitur, a causa antea decisa *absolute* dependent i.e. ipsum fundamentum actionis suae ea penitus elidatur. Sic sententia parentum matrimonium annulans recte profecto liberis opponitur, qui ex eodem matrimonio legitimorum iura postulant. In saepe memorata causa Favras contra Anhalt Schaumburg, ipsa filiae causa a tribunali Belgico decisa erat, cum etiam eius nomine egisset mater. Sed fingamus eam post sententiam istam natam fuisse, aut matrem eius nomine non egisse: num quis credet eam tum exceptionem rei iudicatae sibi oppositam eo praetextu elidere potuisse,

18 DE EFFECTU EXCEPTIONIS REI IUDICATAE &c.

isse, quod res inter alios iudicata aliis nec noceat nec prospicit? — Regula haec ibi applicari nequit, ubi idem utriusque actionis fundamentum est ^{a)}.

§. 24.

Expositis iam principiis quibus effectus rei iudicatae in territorio alieno nititur, deductis inde requisitis, sub quibus effectus iste obtinet, & facta denique doctrinae huius ad varios casus applicatione, nihil superest nisi eruditorum de specimine meo iudicium & correctionem exspectare.

a) Vide de hac re *Pütters Rechtsfälle* l. c. p. 84. N. IV. sqq.

Göttingen, Diss., 1790-91

ULB Halle
004 826 981

3



f

TA → OL
nur 1 Sh. d. v.



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

DE
EFFECTU EXCEPTIONIS
REI JUDICATAE
IN TERRITORIO ALIENO
COMMENTATIO.

aff. f. 1003. b.

5,733.

14

143

QUAM

SUB AUSPICIIS AUGUSTISSIMIS REGIIS
CONSENTIENTE ILLUSTRI JURIS CONSULTORUM
ORDINE

PRO

SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS
RITE CAPESSENDIS

D. IX. MAJI MDCCXCI.

ERUDITORUM DISQUISITIONI

OFFERT

JOSEPHUS ALOYSIUS FERDINANDUS HAAS
WETZLARIENSIS.

GOETTINGAE

APUD JOANN. HENR. SCHULZIUM, ACAD. TYPOGR.

9